


LVNÆ DIE 23 M. AVGVSTI A. 2004

A.d. X Kal. Septembres a. MMIV

I 2 I

M E L I S S A




FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

SYMPOSII MEDITATIO



Di nobis faverunt, vel fortasse ipse Sanctus Amator cum Symposium nostrum ageremus in summa eius Rupe, vulgo « Rocamadour » vocata. Quadraginta fere participes ex Austria, Belgica, Francogallia, Germania, Hispania, Italia, Magna Britannia oriundi in deversorio « Le Relais des Remparts » conclavia occupaverunt modo refecta atque commoditatibus privatis necnon aere temperato prædita. Cibi placuerunt, quos etiam gratiores faciebat vinum Cadurcense ad libitum præbitum ; hæc omnia pro pretio modico. Totum mensem Iulium, prope deversorium nostrum sub divo habebantur concentus musici et ludi scænici, ad quos audiendos vel spectandos nostri participes compluries sunt invitati. Tempestatem habuimus variam, sicut in plerisque Europæ regionibus hac æstate ; compluries ad Rupem advolaverunt subiti nimbi, quibus factum est ut æstum numquam pateremur.

Œci sessionibus apti nobis tribuebantur, ubi quinque moderatores, Francisca Deraedt, Wolfgangus Jenniges, Christianus Laes, Dominicus Viain egoque, omnes præter me philologi classici, participes tractaverunt pro singulorum desideriis ; licebat unicuique suum gregem eligere vel etiam intra septimanam gregem mutare. Cottidie factæ sunt sessiones communes, in quibus multa narrata sunt de Petrocoriorum Cadurcorumque pagis, de innumerabilibus præstantibusque vestigiis præhistoricis in circumiectis inventis, de historia Sancti Amatoris eiusque Rupis, quin etiam de Virginibus nigris, quarum una ex clarissimis sedem


habet in Rupe. Cottidie etiam spectaculum cum imaginibus sive mobilibus sive immobilibus fiebat in oœco, ubi instrumenta nostra projectoria obscuritate necessaria optime fruebantur.

Excursio tempore postmeridiano semel facta est. Autoræda longa vecti sumus ad speluncam « Pech Merle » ; licuit participibus, quorum plerique in nullam speluncam antea intraverant, non solum extraordinarias formas calcariarum concretionum admirari, sed præcipue delineamenta et picturas ante circiter 25 milia annorum ab atavis nostris Cro-Magnonensibus factas.


Intra quinas fere horas, quibus cottidie sessio antemeridiana a postmeridiana dividebatur, participes suo Marte abruptum oppidum « Rocamadour » eiusque septem sanctuaria lustrare potuerunt atque arduos gradus experiri, quos ante nonnulla sæcula pænitentes in genibus ascendere cogebantur ; licuit etiam per « silvam simiorum » ambulare inter facetos Macacos e Marocco importatos vel de « Saxo Aquilarum » mirabilem volatum rapacium volucrum, quæ cicures factæ sunt, spectare.

Cum Avitus Gratius Garseius, qui consociationem circulorum Latinorum instituit, gregi interesset in quo de variis argumentis disputabant loquendi peritiiores, ibi multum actum est de eis, quæ in circulis restant statuenda atque efficienda. Quare non inutile mihi videtur commemorare, quomodo iam antea curatum sit ut publicus linguae Latinae usus restitueretur.

Iam ineunte undevicesimo sæculo agitur de usu linguae Latinae inter gentes restituendo, ut patet ex libello, quem Michael Olmo, Hispanus, post atrocias bella Napoleonica ad principes illius temporis misit. De hoc libello nonnullas sententias depromo : « Ubique, scio, hodie viget linguarum exterarum studium. Ista autem adipiscendarum linguarum cura, maximo labore iuvanda, id damni fert secum, quod cum Germanus Italiam aut Gallicam, Gallus Hispanam, Russus denique Anglicam aut quamvis aliam, multa opera, et ævi parte studiis potioribus subtracta, consequitur, unum tan-



tum ad communem hominum societatem gradum facit, frustra reliquos, nempe linguas ceteras, vel si longissima faveret ætas, prosecuturus. (...) Quo in linguarum delectu atque discrimine, nescio an adeo insipidus aliquis esse possit, ut Latinam ceteris omnibus quas viventes appellamus non anteferat. (...) 'At deerunt in Romano sermone plurima novarum rerum vocabula.' Hic falluntur imperiti, putantes multitudinem tantum nominum, earum præcipue rerum quæ magis usui vitæ subiiciuntur, facundiam sermonis constituere et copiam. Advertendum est huiuscmodi vocabula omnium esse linguarum ac gentium, et nova ubique novis nominibus signari. »¹ Principes tamen hæc prudentera verba audire noluerunt et, summa superbia amentiaque impulsi, suas gentes ad bella atrociora duxerunt.



Post alterum Bellum Mundanum, motum Latinitati vivæ provehendæ resuscitavit rector universitatis Nanceiensis, Iohannes Capelle, primum conventum universale anno 1956 Avennionem convocando. Omnia fere incepta Latina originem trahunt ex hoc conventu. Abhinc, periodicum *Vita Latina*, diu totum fere Latine scriptum, edi coeptum est ; scriptores erant omnium nationum.

Per methodum *Assimil*, a Clemente Desessard anno 1963 editam, permulti homines invenerunt linguam Latinam adhuc utibilem esse atque ad eam adhibendam electi sunt ; ipse sum unus ex eis. Paulo post Romæ condita est Academia Litteris Latinis linguaeque fovendæ, cuius auspiciis quinto quoque anno convenitus internationalis institutus est.

Ab anno 1973 Dr P. Cælestis Eichenseer seminaria Latina moderari incepit, imprimis in Germania ; celeriter crevit eius fama, ita ut idem post paucos annos complura seminaria quotannis moderaretur in diversis civitatibus ; pro eo ab anno 1983 seminarium in Belgica ordinare coepi. Societate Latina anno 1976 condita, Dr P. Cælestis Eichenseer in studiorum universitatem

Saravipontanam migravit, cuius auspiciis abhinc editum est periodicum *Vox Latina* ; in quo Dr Eichenseer multam operam dedit ad proponendos neologismos tradito more factos, cum hanc rem necessariam non curaret Academia Romæ condita.

Ab anno 1982 P. Eichenseer æmulum habuit Patrem Suitbertum Siedl, Austrium, qui Vaticanis auspiciis Ferias Latinas instituere cœpit multis in locis Europæis, necnon Americanis. Pater tamen Suitbertus potius rem inaugurabat sed non diu pergebat ipse moderari. Inter multas alias memoro Ferias in Provincia, quas ab anno 1982 constanter curavit Clemens Desessard, et Ferias in Sicilia, Syracusis, anno 1985 institutas, quas iam curabat Georgius Di Maria.

Valahfridus Stroh, professor universitatis Monacensis, inter Conventum Universalem Academiæ Romanæ Augustæ Treverorum anno 1981 habitum, convenit Ianum Novak, musicum Moravum poetamque Latinum, qui iam anno 1972 Ferias Latinas in Italia, Roboreti (v. Rovereto), instituerat. Quo impellente, Valahfridus Stroh Ludos Latinos in Bavaria compluries instituit, quorum splendidissimi fuerunt Ludi Augustani anno 1985 instituti ad celebrandam Augustam Vindelicum (v. Augsburg) ante duo millenia conditam.



Horum multorum diversorumque inceptorum participes sæpe dolebant quod occasio sibi non dabatur Latine frequentius loquendi ; hac de causa orti sunt circuli Latini, sicut « Circulus Latinus in Urbe » Romæ anno 1971 ab Antonino Immè conditus, Circulus Latinus Belgicus, qui, anno 1983 sua sponte natus, adhuc viget, vel Circulus Hannoverensis a Doctore Theoderico Krüger anno 1985 conditus.

« Symposium » vocavimus rem nostram, quia voluimus eam esse plus quam seminarium. Certe, imprimis seminarium fuit, e quo excludere noluimus discipulos cycli secundarii nonnullosve adultos, qui linguæ Latinæ studere ante paucos tantum menses cœperant ;



sed hæc peritioribus etiam fuit occasio cogitandi et disputandi de scopo nostro atque de agendi modis.

Qualis est hodie status Latinitatis vivæ post tot tantaque incepta per semisæculum ab eximii ingenii hominibus peracta? Notior certe facta est Latinitas viva, sed adhuc plures inimicos numerat quam amicos; hoc infeliciter etiam pertinet ad magistros qui linguam Latinam docent. Sunt hodie regiones, ut Belgica francoaphona et Francogallia, ubi iam non vere docetur lingua Latina; discipuli nonnulla rudimenta grammatica discunt, vix ullum vocabulum memoriae mandare debent, parvis auctorum antiquorum textibus student, quorum translationem in sermonem vernaculum coram magistro memoriter producunt.

Concludam nonnullas sententias patefaciens, quas in cœtu nostro dixerunt participes. Circuli Latini quam plurimi ubique sunt condendi; hi enim non solum occasionem præbent sæpius Latine loquendi, sed etiam aptissimi sunt ad Latinitatem vivam notiorem faciendam in singulis locis. Consociatione, quam condidit Avitus, singulorum facultates viresque augeri possunt.

Latinitatis vivæ fautoribus magno emolumento est interrete, quo commercium epistulare inter homines celerrimum et minimi pretii factum est.

Magistri sunt adeundi, monendi, hortandi, quia multi adhuc vix quicquam sciunt de Latinitate viva. Hoc etiam inter symposium bis animadvertisimus. Domina quædam, dum in oppido ambulat, audivit symposii participes inter se Latine colloquentes; mirans eis dixit se Americanam magistram esse, sed sibi nullam esse occasionem Latine loquendi; nihil sciebat de conventiculis Latinis, quæ Lexingtoniæ instituere solet professor Terentius Tunberg; hoc inexspectate in Francogallia invenit! Ceterum cum nonnulli nostrum vespere ad ludum scænicum spectandum ambularent Latine loquentes, vir quidam eos interrogavit qui essent et quid Latini hic agerent; se esse magistrum Francogallum, linguam Latinam docentem

et valde cupidum Latine loquendi, id quod adhuc solum cum uxore facere poterat.

Extrascholaris institutio Latina magis magisque fit necessaria. Hæc quantum fieri potest instituenda est cura circulorum Latinorum; hoc nosmetipsi Bruxellis facimus, iucunda efficacique methodo Oerbergiana utentes.

Libellus excogitandus est, quo rationes Latinitatis vivæ brevi explicitur et Latine et vernaculo sermone; idem libellus a circulis est diffundendus.

Index Latinitatis vivæ cultorum eorumque qui ei favent parandus est. Auctoritates publicæ sunt iterum iterumque adeundæ, quoad agnoscatur vita sermonis Latini.

In fine etiam dictum est cœtus Latinos iam diu solum fieri ad linguam exercendam; lingua autem est instrumentum, quod adhibeat oportet ad aliquid faciendum. Quare thema satis mature proponendum est, ut participes, qui velint, aliquid utile vel novi afferre possint.



At symposium non solum seriis cogitationibus deditum est; ultimo die, postmeridiano tempore complures participes diversas scænas theatrales egerunt atque sessio finem habuit in inexstinguilibus cachinnis. Ante cenam valedictoriam vinum spumosum una bibimus in horto, unde patet pulcherrimus prospectus ad Vallem Tenebrosam... ☐

Gaius LICOPPE

i. Textus divulgatus a G.A. Bergère, in : « De urbe Latina condenda », *Melissa* n. 9, 1985, p. 4.

LINGVA LATINA PER SE EXPLICATA

- *scripsit Iohannes Ørberg -*

Quo plus methodo Oerbergiana in docendo utimur, eo magis eam admiramur. Eius efficacitatem experiri potuimus apud homines omnis aetatis. Nobis adhuc deest satis ampla experientia apud scholarum discipulos, quia non facile coniungitur hoc opus cum rigido programmate a regimine imposito. Per multæ sunt methodi, quotannis aliqua nova in lucem editur; nulla tamen per tot annos elaborata est et constanter melior facta. Iohannes Ørberg rem incobavit ante semisæculum atque eam palam iam explicavit inter Secundum Conventum pro Latinitate Viva Lugduni in Francogallia anno 1959 habitum. Verba que ibi fecit atque ea quæ, quadraginta annis post, Montellæ in conventu « Docere » fecit, mibi videntur digna, quæ in memoriam revocentur. Ea divulgamus cum auctoris licentia.

Quamquam in plerisque Europæ gymnasiis seu lyceis a magistris peritissimis Latine docentur pueri atque adulescentuli, compertum habeo multos homines alia quidem doctrina liberaliter institutos lingua Latinam parum intellegere vel prorsus ignorare. Ex iis nonnulli in studio litterarum versati, cum intellegant quantum fructum ex scientia eius linguae percipere possent, moleste ferunt quod occasionem Latine discendi amiserint. Quibus ut nova eius rei occasio præberetur, eos libros composui qui « Lingua Latina secundum naturæ rationem explicata » inscribuntur. Neque ab huius congressus proposito alienum mihi videtur paucis disserere de hac institutione, qua quintum iam annum nonnulli Dani, iuvenes maxime, per litteras Latine docentur, præsertim cum nova atque inusitata sit ratio instituendi.

Namque in libris conscribendis eam rationem secutus sum quæ « naturæ » appellatur, a populari meo Arthur M. Jensen inventa ac primum ad linguam Anglicam, postea etiam ad linguam Gallicam adhibita. Ea linguarum docendarum ratio hoc maxime principio nititur, ut lingua aliena inde ab initio ipsa per se explicanda sit. Itaque libri in quibus aliqua lingua secundum hanc rationem instituitur ita componuntur atque ordinantur, ut omnia deinceps vocabula per se, etiam ab iis qui eius linguae omnino imperiti sint, intellegi possint, cum ex ipso contextu orationis perspicue appearat significatio verborum. Quod cum ita sit, nihil est quod ullum vocabulum in aliam lingua discipulo iam notam vertatur. Discipulus igitur iam inde ab elementis eo perducitur, ut linguam alienam quasi recta via intellegat, misso circuitu illo incommodo, qui per patriam linguam ad singula vocabula intellegenda fert. Enimvero ad maximam operam dandam incitatur discipulus, maxime quod ei necesse est ratiocinando et deliberando omnia dissolvere. Quoniam autem numquam

nimia difficultate a conatu deterretur, non invitus, sed sua sponte ac voluntate contendit. Quibus rebus efficiuntur, ut lingua nova cito, tuto, iucunde perdiscatur. Satis enim constat inter omnes docendi peritos ea quæ discipulus ipse sua ratiocinatione atque contentione animi reppererit multo facilius ac firmius memoriae inhærente quam quæ expedita atque absoluta ei tradita sint. Res ita reperta si novis exemplis in eodem capitulo saepius iteratur, satis cautum esse videtur ne rursus e memoria excidat.

Iam pridem « naturæ ratio » idoneam se præstitit qua linguae recentiores doceantur. Eadem vero ratione ut institui possit lingua Latina, necesse est eam ut sermonem cottidianum ac vivum, non ut linguam artificiosam iam extinctam tractare. Incipiendum est a sententiis simplicissimis ad rem communem omnibusque notam spectantibus, quæ ita accurate disponenda sunt, ut nihil difficilium sit quam ut statim ab omni discipulo, nullo magistro adiuvante, intellegi possit.

Longum est exemplis demonstrare quomodo hoc propositum in libris Latinis scribendis secutus sim. Opus sane magnum atque arduum fuit cum vocabula Latina tum res grammaticas ita nulla interpretatione adhibita explanare, præsertim cum eodem tempore narratione haud ingrata vitam cultumque Romanorum aliqua ex parte illustrare vellem.

Iam vero exstant quindecim fasciculi ex omni parte Latine scripti, quorum decem priores elementa grammatica tractant. Eius partis argumentum e vita privata cuiusdam familiae Romanæ trahitur, pars posterior est de urbe Roma et de rebus gestis Romanorum sicut a scriptoribus Romanis traduntur : etenim in extremis fasciculis ex libris T. Livii, Sallustii, Ciceronis integri loci leguntur.

Quodque capitulum sequuntur terna pensa grammatica, quibus primum formæ grammaticæ, tum vocabula, denique sententiæ perdiscantur. In parte priore cuique capitulo additur pars grammatica, in qua separatim illustrantur novæ res grammaticæ pluribus exemplis certa ratione ordinatis.

Discipulis Danicis cum fasciculo primo traditur libellus quo lingua Danica explicatur disciplinæ ratio et pronuntiatio vocabulorum Latinorum, itemque singulis fasciculis, qui quoque mense ad discipulos mituntur, præcepta quædam adiciuntur eadem lingua scripta, nec desideratur glossarium in quo vocabula Latina in linguam Danicam vertuntur (id quidem discipulo diligenti non necessarium, sed ultimum auxilium eorum qui parum sibi confidunt). Eadem adiumenta propriis linguis scripta, ut primum parata erunt, aliarum quoque gentium discipulis offerentur.

Quadriennium iam secundum hanc rationem doceatur lingua Latina in patria mea. Discipuli nostri, sicut appareat ex exercitationibus quas accuratissime scriptas ad nos mittunt, brevi tempore multum proficiunt in lingua illa, cui sua sponte tantam operam dant ; quin etiam aliquot epistulas Latinas haud male scriptas accipimus a discipulis qui paucis ante mensibus linguam Latinam ignorabant. Ita iam re probatum mihi videtur huius modi disciplina permultos, qui in scholis Latine non didicerunt, tanto studio linguæ et litterarum Latinarum impleri posse, ut non modo Latine legendi, sed etiam scribendo delectentur. Spero igitur hanc disciplinam, ut est universalis atque omnibus gentibus conveniens, cum simul in complures nationes divulgata erit, aliquid collaturam esse ad linguam Latinam in pristinum statum restituendam.

(a. 1959, Deuxième Congrès international pour le latin vivant)

Etiam hodie in scholis Latinis plurimi discipuli coguntur formas et leges grammaticas ediscere atque singula vocabula in glossario querere antequam paucissimas sententias Latinas, ut ita dicam, « dissecare » incipiunt et verbum verbo reddendo in suam linguam vertere. Hoc modo discipuli magno cum labore magis ænigmata solvere discunt quam Latine legere atque intellegere.

Sed artem legendi docere volumus, non incipiendum est a præceptis grammaticis atque glossis ; hæc methodus, « deductiva » quæ vocatur, perversa mihi videtur. Incipiendum est ab integris exemplis legendis quibus plane illustrantur formæ et leges grammaticæ et significatio vocabulorum. Hæc methodus, « inductiva » quæ vocatur, efficacem se præsttit qua linguæ doceantur. Verum est quod (de alia quidem re) dicit Seneca (Ep. 6.5) : *Longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla.*

Sed cavendum est ne exemplis utamur quæ discipulos defatigent et tædio afficiant. Necesse est id quod discipulis legendum proponitur dignum esse quod legatur, id est utile et aptum ad delectationem lectorum - miscendum utile dulci sive dulce utili - nam fastidiosi sunt discipuli et lectionem sine delectatione neglegunt. Gaudeo plerosque libros quibus hodie lingua Latina docetur iam pridem sustulisse sententias illas segregatas atque inanes - velut has quæ mihi tironi quindecim annorum propositæ sunt : *Hic rosa deest. Scriba poeta est. Ubi eras nauta ?* - sed etiam narrationes ineptaæ et libris discipulorum tollendæ sunt. Lectionibus opus est quibus discipuli incitantur ad Latine legendum sine tædio atque cum delectatione, quia argumentum iis acceptum probatumque sit. Ut orator auditores, ita magister discipulos ab initio bene-

volos, attentos, dociles facere debet. Id potissimum efficitur utendo, quantum fieri potest, genere narratio-nis in quo (ut verbis Ciceronis utar) *multa debet inesse festivitas confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine... fortunæ commutatione, insperato incommodo, subita lætitia, iucundo exitu rerum* (Inv. 1.27). Atque ut exerceatur ars legendi, a primis elementis satis amplæ lectiones Latinæ discipulis dandæ sunt, non paucorum versuum, sed integrarum paginarum ! Notum est proverbium : Scribere scribendo, dicendo dicere disces. Nisi metrum vetaret, auctor sine dubio adiecerisset : legere disces legendo. Usus enim magister est optimus, sed usu assiduo et cotidiano opus est.

Sed quid iuvat tironibus lectiones quamvis festivas legendas tradere si nimis difficiles sunt intellectu ? Quomodo discipulus tiro, cui nullum vocabulum Latinum notum est, sine glossario et sine præceptis grammaticis totas paginas legere potest ? Id fieri potest si lectiones ita ordinatæ sunt ut inde ab elementis omnia deinceps vocabula itemque res grammaticæ per se ab omni discipulo intellegantur, cum significatio verborum atque usus grammaticus perspicue appareat ex ipsa iunctura verborum sive contextu orationis. Discipulis qui hoc modo omnia per se intellegunt opus non est prius formas grammaticas definire et significationem singulorum vocabulorum explorare : linguam Latinam quasi recta via discunt, nec est quod vocabula et sententias in suam linguam vertant - ipsis discipulis id supervacaneum videtur.

Hæc disciplinæ principia sequi conatus sum in conficienda institutione cui titulus est « Lingua Latina per se illustrata ». Incipio a sententiis simplicissimis ad rem communem omnibusque notam spectantibus, quæ ita accurate disponuntur ut nihil difficilius sit quam ut statim a discipulo intellegatur. In singulis lectionibus vocabula discenda ita cum aliis iam notis coniunguntur ut significatio semper in promptu sit, interdum imaginibus vel notis marginalibus adiuvantibus. Nec vocabula tantum, sed etiam res grammaticæ ita gradatim in sententias continuas insinuantur ut earum vis atque usus ex ipso contextu sententiarum plane declaretur. Simul curavi ut omnia discenda, cum grammatica necessaria tum vocabula quæque usitatissima, toties repetantur ut animis discipulorum infigantur. Ad id assequendum plurimum hoc confert quod discipulis necesse est ratiocinando ac deliberando omnia persolvere. Satis enim constat ea quæ discipuli sua ratiocinatione atque contentione animi reppererint multo facilius ac firmius memoriae inhærente quam quæ expedita et absoluta iis ediscenda tradita sint.

(in conventu « Docere », Montellæ 24.4 - 1.5.1998) ☒

FLOSCVLI ERASMI (IV)

« Adagia anni 1514 »

- *quos proponit Alexander Vanautgaerden -*

Post editionem Basileæ anno 1513 factam, iterum anno 1514, mense Martio, duæ editiones Aldinianam imitantur : altera Tubingæ, altera Ferrariae prodit. In priore ad verbum transcripta est prima pagina Venetianaæ editionis, una cum epistula ad lectorem in qua nuntiatur duplex index et secundum litteras et iuxta locos factus. Folio 12 r/v, invenitur Erasmi nuncupatio, qua librum Guilelmo Mountjoy dedicat. Post proœcium *Quid sit paræmia inscriptum* proponuntur 3260 adagia, quorum ultimum est notissimum *Auris batava*. Folio [rr 9] v°, invenitur colophon : *Tubingæ in ædibus Thomæ Anshelmi Badensis, impensis providi viri Lodovici Hornecken Coloniensis incolæ. Anno M. D. XIII.* Mense Martio, sub illustri duce Vdalrico Vuirtenbergensi ; denique registrum. ¶ Italiana autem editio in eo est magis attractiva, quod alium titulum præbet (*Erasmi Rotherodami Proverbiorum Chiliades tres, et totidem centuriae, additis quibusdam rebus optimis nouiter excussæ plurimisque in locis diligentissime castigatae*). Inest etiam inedita epistula ad lectorem scripta :

Lectori Sal.


Habes studiose Lector adagiorum tria milia fere supra trecenta, habes annotationes varias, acutas, eruditas. Nam et plurima auctorum loca ignorata hactenus, et multas explicationes Ciceronis ad Atticum invenies. Ex Homero autem, Aristophane, Euripide, aliisque poetis græcorum prope versuum decem milia in latitudinem versa. Ex Platone, Luciano, Demosthene, ceterisque id genus oratoribus magnam interpretationum silvam. Physicas etiam et mathematicas quæstiones aliquot ingeniouse et prudenter excussas. Tum commoda admodum diverticula, e quibus incertum est plusne utilitatis, an voluptatis mutueris. Si cum re ipsa congreдиare, dices multa pollicitum, plura præstitisse, quando hic unus liber tibi pro iusta biblioteca esse potest. [Signum]

Ioannes Maciochus, editor, nuncupationem ab Erasmo ad Anglum mæcenatem scriptam non divulgat, sed ipse opus dedicat secretario ducis Ferrariae, Hieronymo Magnanino, addens non futurum fuisse ut opus publicaretur sine auxilio et opibus Ludovici Bonaccioli ; qui vir fuit Lucretiæ Borgia medicus, professor in Studio et socius editoris nostri.

Ioannes Maciochus Magnifico et Clariss. Hieronymo Magnanimo Illustriss. D. Duci Ferrariae a Secretis. Sal.

Rem arduam prorsus atque operosam mibi fecisse videor, qui maximis difficultatibus tum domesticis, tum externis circumventus neque loco cesserim, neque impri-mendi sacramentum, et rem litterariam iuvandi studium

destituerim (*decet enim bene agentem sibi placere et minime virtutis comitem gloriolam detrectare*). Erant mihi domesticæ trice, urgebant forenses controversiæ a nequissimo homine concitate, imminebat patriæ propinquus hostis. Terrore, metu, suspicione plena omnia. Amicorum plerique debortabantur, et iustis rationibus audaciam dicam, an confidentiam meam accusabant. At ego perpaucorum, sed bonorum consilio atque bortatione nihil animo consternatus, rectum clavum, et quidem in mediis fluctibus retinebam. Allucebat enim mibi Ludovici Bonazoli viri omnium, quos novi umquam, optimi doctissimi liberalissimi fax et quasi præsidium in ianua (ut dicitur) excubabat, ille auctoritate, consilio, aere hinc aut illinc lassescenti aderat, et tempestive opem ferebat. Quare si quid umquam ego aut promovero in hac provincia, aut si quam utilitatem nostris hominibus hoc labore attulisse existimabor, ingenue ac libenter fateor, id omne Bonazolo acceptum ferri oportere, eiusque auspiciis me totam rem feliciter transegisse. Quando tam luculenta beneficia nec possunt dissimulari, nec debent, cum vero mibi plurima exprimenda occurrerent, probavit ille maxime hæc adagiorum volumina, quæ Erasmus Rotherodamus vir nostro ævo disertissimus e græcorum ac latinorum thesauris congessit, quæ vel rerum ubertate, vel lepore peculiari iam multos sibi fautores conciliarunt, expetunturque incredibili omnium desiderio. Habet enim




hoc dicendi genus varium et acutum mirabile illicium ad aures capiendas tenendosque animos legentium. Nam et acumine altius sedet, et brevitate memoriae pertinacius inhæret. Demosthenes ille Atticæ facundiæ fons perennis unum maxime inter Athenienses oratores Phocionem hoc dicendi genere præstantem reformidabat, cumque ille ad orationem se accingeret, suorum uerborum aciem surrexisse testabatur. Irridebat sane Phocion ipse leosthenem hominem oratione divitem et ad ducendum diem natum, eiusque periodos et ἀμαξιά (ut aiunt) lenocinia cupressis comparabat, quæ ingentes et conspicuae, frugis tamen nibil afferunt; hinc et laconismi, id est laconum oratio, existimationem indicaturamque invenit. Et scite admodum ac ingeniose Lycurgus instituit, ut magno atque immodico nummo, brevi autem et circumscripta oratione spartani uterentur, ut scilicet illum onere fastidire et aspernari discerent, hanc ediscerent et sua rotunditate amarent. Neque Homerus putavit se locupletius Menelaum suum laudare posse, quam quo professus est eum dicere, πάντα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Qua orationis specie cum te Hieronyme Magnanine uir clarissime oblectari plurimum intelligerem, eaque uti familiariter, cuperemque aliquod grati animi pro tot in me meritis apud te reponere, nibil habui opportunius, quam hæc collectanea sub tuo nomine publicare, quibus legendis tunc demum operam dabis, cum aliquid otii nanciseris, et cum maximis negotiis tum ad principem, tum ad Reverendissimum Patrem pertinentibus industrias feceris. Par est enim hominem publicæ utilitati excubantem, et sacris occupationibus Principis operantem aliquo se oblectamento invitare, quo vegetior et promptior subinde ad obeundum institutum revertatur. In iis enim non voluptatis minus quam utilitatis propositum est. Nam et rerum rarissimarum copia, et orationis elegantia, et tempestiva diverticula possunt non modo indulgenti, sed et delicato etiam ac moroso lectori satisfacere. Quod si quis tamen fuerit inventus tam difficile concoquentis stomachi, tam perversi ac male auspicati iudicii, ut hæc parum probare uideatur, iis ego te quasi septemplicem illum Aiakis clipeum obiciam, qui patrocinio tuo et auctoritate, qua plurimum polles, hominem de utraque lingua optime meritum tuearis. Vale. Nonis Martii MDXIII.

In aversa parte ultimi folii invenitur epistula Lucensis sacerdotis Angeli Fanucci, spiritu non nimium adflata, his pauperibus versibus conclusa :

*Erasmi collecta uides monumenta diserti
Quis non præclarum iudicet ingenium?*

Ang. Fanuccius Sacerdos Lucensis studiosis.



Non possum profecto mirandum in modum Viri Studiosissimi bonarumque artium sectatores, gaudio non mediocri pectus meum exhibilarare, ac talem una efferre lætitiam, eademque totus delibutus gestire. Quandoquidem tot tantæque tum Græcæ tum Latinæ paromiae in unum ab Erasmo Rotherodamo, homine lingua sane utraque oppido quam deterso et consumato latiali stilo elegantissime congestæ, ac luculentissime enodatæ in luce proferuntur, quibus sane haud rotunditatis minus quam urbanitatis inesse et conspicuit et animadvertisit. Vbi lepos, et bonos, ac potius ueluti quædam maiestas, ibi quoque sine obscuritate brevitas, utilitasque prorsus. Quid enim per immortalem, dignius, argutius, celebriusque? Quidve cuiusmodi genere dicendi præstantius atque ornatus? Quid cottidiano eloquio decentius, uel accommodatius cooptari potest? Eia igitur plaudite. Habetis enim opus suavissimum, multisque aptissimum, quod maiore adbibita sedulitate et animadversione (plus quam ab aliis antea) Ioanni Maciocchio excussum, atque confectum, Tricælioque viro longe eruditto elimatum prodit. Valete. ■

DE NORMIS GENERALIBVS IVRIS PŒNALIS IN ECCLESIA (II)

- scripsit Lucas Willemarck -

E. Post sententias eorum qui sive theologiæ sive iurisprudentiæ primatum defenderunt perpensas, postremo sententia consideranda est eorum qui fieri non posse censeant quin utriusque disciplinæ, et canonicae et theologicæ, quarum altera alterius indiget, rationem habeas.

L. ORSY argumenta in utramque partem optime disputata in libro exposuit de iuris canonici ad theologiam relatione scripto⁵. Quia fieri non potest ut omnia argumenta a scriptore proposita complectamur, illa tantum disputabimus quæ de mutuo connexu theologiæ et iuris canonici tractant. Scriptor uberrimis verbis quomodo theologia a iure differat explicat, licet simul affirmet alterum alterius tam indigere ut reapse intime iungantur.

Primum theologiæ munus est doctrinam bonorum elaborare, qua ius canonicum nitatur ad regulas recte agendi ferendas, quarum ope christifideles bona spiritualia a theologis proposita sibi re vera consequi poterunt.

Theologorum est doctrinam moralem de iuribus christifidelium servandis elaborare eorumque naturam pressius determinare, iuris peritorum contra est regulas positivas effingere, quibus christifideles uti possint ad damnum sibi iniuria allatum reparandum. Hæc est quæstio iuridica de optimis modis per legem agendis, quibus hominibus liceat iuribus non theologicæ tantum sed re vera frui. Intimus ille conexus non semper idem est sed temporibus satis congruat oportet. Cum ius canonicum quoque temporibus aptandum sit, non mirandum est quod ipse pontifex in secundo Vaticano concilio novum habitum mentis expostulavit, quo enim iuris peritis opus esset ad leges novis temporibus aptandas.

III. DE SANCTIONIBUS IN ECCLESIA

Quod si generatim verum est bona a theologis selecta non ad effectum perduci nisi legibus latissimis quibus opus est ut christifideles iuribus suis reapse fruantur, eo maior congruentia bonorum et legum necessaria est si agitur de iuribus singulorum tuendis, ut præsertim fit in processibus pœnaliibus. Licet nativum et proprium Ecclesiæ ius sit delinquentes pœnaliibus sanctionibus coercere, tamen sanctiones pœnales tam inter se differunt variisque finibus inserviunt inter se pugnantibus, ut propter lacunas legum iustitia servari non possit.

L. Orsy recte meritoque monuit iustitiam servandam necessario neglegi deficientibus regulis normisque ad processus aliasque legis actiones rite exercendas, exempli gratia ad iura christifidelium efficienter prote-

genda. Quamquam in codice iuris canonici omnium christifidelium obligationes et iura in primo titulo libri secundi canonibus 208-223 enuntiantur, desunt tamen legis actiones quibus iura singulorum tutiora reddantur a damnis iniuria acceptis⁶. Secundum canonem 220 nemini licet bonam famam, qua quis gaudet, illegitime lædere. Præterea secundum canonem 221 christifidelibus ius est, ne poenis canonicas nisi ad normam legis plectantur.

Canone 1741 causæ enuntiantur ob quas parochus a sua parœcia legitime amoveri potest, quarum inter alias bonæ existimationis amissio penes probos et graves parœcianos.

Antinomia canonum 220 et 1741 solvi non potest nisi prius bonis argumentis legis confirmatum sit uter canon utri anteponendum sit. Fieri autem possit ut bonæ existimationis amissio pendeat a rumore adverso tantum.

Si uterque canon eiusdem est ponderis canon 1741 prævalebit quia specialia generalibus derogant, sin aliter canon 220 alteri anteponendum est, tunc tantum parochus illegitime læsus a parœcia legitime amoveri nequit. Cum ita res se habeat, periculum est, ne doctrina iurium et obligationum christifidelium pulcherrima a theologis secundi Vaticani concilii promota quamvis canonibus novi codicis recepta sit, sæpius tamen vana remaneat, nisi ad iura christifidelium apte tuenda primatus iuridicus canonum 208-223 in casu antinomiae solvendæ recognoscatur⁷.

Ex hoc exemplo dilucide patet cuius momenti optimæ rectaque iustitiæ administratio habenda sit, præsertim si iura singulorum in actione pœnali servari oportet. Si quis, sicut ait P. Fedele, adfirmaverit bonum commune et bonum uniuscuiusque proprium inter se congruere modo perfecto, itaque opposita, salute animalium mediante, in unum esse conversa, præsertim in ordine pœnali, necesse est structuram iuridicam ordinationemque sanctionum in ecclesia perpendere atque uniuscuiusque iura accurate describere. Quod ut faciamus librum sextum codicis comparemus cum normis generalibus iuris pœnalis generatim in civitatibus hodiernis adhibiti.

Primum dicendum est ius pœnale canonicum hac nota particulari a iure communi differre quod pœna nonnullis in casibus non a iudice pendet, quia in eam incurritur ipso facto commissi delicti, sicut patet ex canonе 1314 : « Pœna plerumque est ferendæ sententiæ, ita ut reum non teneat, nisi postquam irrogata sit ; est autem latæ sententiæ, ita ut in eam incurritur ipso facto commissi delicti, si lex vel præceptum id expresse statuat. » Paucæ vero sunt pœnæ latæ sententiæ,

quæ a iudice non irrogantur sed tantum declarantur post delictum commisum sine ulla illius æstimatione. Ergo hæc poena dici potest non sine lege sed sine iudice.

Sunt nonnulla principia generalia iuris maioris momenti quæ ubique necessaria habentur ad iura singulorum tuenda. Quorum primum est celeberrimum illud notissimumque adagium, nullam esse poenam sine lege. Sanctionum autem canonicarum, cum multi variique sint fines, delinquentes coercere, delicta præcavere, poenas substituere, monitiones et correptiones, immo vero poenitentias imponere, quorum nonnulli inter se pugnant, nil mirandum est quod illud adagium non semper servatur ne in ipsis legibus poenalibus quidem sicut patet ex nonnullis canonibus.

Canon 1315 § 2 : « Lex ipsa potest poenam determinare vel prudenti iudicis æstimatione determinandam relinquere. »

Canon 1319 : « Quatenus quis potest præcepta impnere, eatenus potest poenas determinatas per præceptum comminari. »

Quæ regula a iure cum civili tum poenali aliena videtur, quod lex non pro singulis est ferenda sed universis subiectis quibus æque valet. Præcepta particula-ria singulis destinata et aptata, licet e spiritu æquitatis canonica intellegantur curæ pastoralis causa, universalem naturam legis negant, quæ servari non potest nisi omnes eadem poena comminando.

Canon 1326 : « Iudex gravius punire potest quam lex vel præceptum statuit. »

Contra vero culpa in iure canonico interdum multo facilius magisque temperatur vel minuitur quam in iure communi fieri solet sicut patet ex canone 1324, ubi etiam ebrietas culpabilis ad culpam levandam sufficiere dicitur.

Canon 1324 : « Violationis auctor non eximitur a poena, sed poena lege vel præcepto statuta temperari debet vel in eius locum pænitentia adhiberi, si delictum patratum sit ab eo qui rationis usu carebat propter ebrietatem aliamve similem mentis perturbationem, quæ culpabilis fuerit. »

Canon 1399 : « Præter casus hac vel aliis legibus statutos, divinæ vel canonicae legis externa violatio tunc tantum potest iusta quidem poena puniri, cum specialis violationis gravitas punitionem postulat, et necessitas urget scandala præveniendi vel reparandi. »

Hoc ultimo canone libri sexti etiam generaliter derogatur ex principio ut nulla sit poena sine lege. Qui enim canon valet « præter casus hac vel aliis legibus statutos ». Præterea cum notiones iustæ causæ et gravitatis necessitatisque scandali præveniendi multo sint

vagiores quam ut subtilissime definiantur, eo gravius est periculum ne iura singulorum in magnum discrimen adducantur.

Neque secundum adagium notissimum, quod nemo censetur ignorare legem, semper valet in iure canonico.

Canon 1323 : « Nulli poenæ est obnoxius qui, cum legem vel præceptum violavit sine culpa ignoravit se legem vel præceptum violare ; ignorantiæ autem inadvertentia et error æquiparantur. » Quamquam ius canonicum hoc in casu minus est strictum quam fieri solet eadem latioris flexibilitatis difficultates oriuntur, quod culpa non satis definitur.

Neque tertium adagium, ne bis in idem, semper valet in iure canonico.

Canon 1348 : « Cum reus ab accusatione absolvitur vel nulla poena ei irrogatur, Ordinarius potest opportunitatis monitis aliisque pastoralis sollicitudinis viis, vel etiam, si res ferat, poenalibus remediiis eius utilitati et publico bono consulere. »

Permixtio variorum finium sicut puniendi, monendi immo vero curandi, quam iam antea memoravimus, effecit ut, pastoralis curæ causa, etiam illud adagium, quamvis iuris poenalis fundamenta ipsa spectet, interdum neglegatur, etiamsi reus ab omni accusatione absolutus sit. Præterea sollicitudine pastorali mediante variis fines non inter se pugnare posse putantur, quod fieri possit poenalibus remediiis rei utilitati et publico bono consulere. Qua de causa secundum canonem 1342 remedia poenalia et pænitentiæ applicari possunt per decretum in quolibet casu. Hoc bonum exemplum præbet quomodo ius canonicum opposita in unum convertere conetur.

Ex illo mentis habitu intellegitur dispositio canonis 1730 a iure poenali communi omnino aliena : « Iudex debet de damnis cognoscere etiamsi reus absolutus sit propter causam quæ non auferat obligationem reparandi diama. »

Cum ita res se habeat facile intellegitur secundum canonem 1342 episcopo decernendum esse utrum processus iudicialis sit adhibendus an, nisi lex vetet, sit procedendum per decretum extra iudicium Canon 1342 « Quoties iustæ obstent causæ ne iudicialis processus fiat, poena irrogari vel declarari potest per decretum extra iudicium. »

Ut iam antea memoravimus de notionibus latioribus, iusta causa tam variis modis cernitur ut periculum sit, ne magis nescio cuius arbitrio quam iuris regula regatur. Quod periculum ut vitetur in codice canonum ecclesiarum orientalium multo strictiore modo finitur potestas per decretum extra iudicium procedendi quam in codice ecclesiæ latinæ.

Secundum canonem 1402 illius codicis delictum puniri potest per decretum extra iudicium « dummodo non agatur de privatione officii, tituli, insignium aut de suspensione ultra annum, de reductione ad inferiorem gradum, de depositione vel de excommunicatione maiore ». Tales exceptiones mihi quidem utilissimæ videntur ne vanus remaneat canon codicis latini 221, ut christifidelibus ius sit ne poenis canonicas nisi ad normam iuris plectantur. Tribunalibus administrativis præter Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal deficientibus, fieri non potest quin singulis saepè instrumenta desint seipsos apte defendendi, quod recursus adversus decreta administrativa eo ab actione vel processu iudicali differt quod cautions damni præcavendi suis iuribus utendo vix præbentur.

Re vera episcopus in poenis applicandis canonis 1341 memor vias pastoralis sollicitudinis et fraternalm correctionem proceduris anteponit, quas si tamen adhibendas esse decreverit sæpius decretum extra iudicium mavult quam proceduram iudiciale. Quæ autem, etsi propter minorem flexibilitatem minus ad salutem animarum spectat, tamen ad iura rei tuenda spectantibus maiori utilitati esse videtur.

Quod cum ita sit, Societas iuris canonici americana proposuit ut tribunalia administrativa instituerentur. Quibus nondum existantibus iam nonnullis in casibus facultas datur decisionis ad arbitros deferendæ, salvis recte procedendi iuribus. Huius propositi gratia iam

minutus esse dicitur numerus eorum qui, nullis aliis remedii præbitis, quamvis inviti causam apud iudicem sæcularem egerint.

IV. CONCLUSIO

Postquam varia esse genera iuris memoravimus, natura iuris canonici in utramque partem perscrutata, conclusimus canonicum ius duplicitis esse naturæ, quam ut recte interpreteris cum theologia tum iure opus est. Cum altera alterius indigeat, fines quos theologi sibi persequendos æstimaverunt recuperari non possunt, nisi bonis legibus latis, ut suis quisque iuribus recte meritoque gaudeat. Hoc præsertim valet pro obligationibus iuribusque christifidelium apte exercendis.

Canonibus sanctionum in ecclesia perpensis, etsi nonnulli sicut P. Fedele conati sunt ius poenale ex ordinatione ad bonum commune definire, salvis habitis singulorum iuribus, nostra quidem sententia periculum permanet ne notiones regulæque nimis vagæ iuris poenalis iuribus rei in actione poenali noceant. ■

5. L. Orsy : *Theology and canon law, New horizons for legislation and interpretation*, 1992, 211 pp.

6. L. Orsy, in opere citato p.95-96.

7. R. Torfs : *Mensen en rechten in de kerk*, Davidsfonds, Leuven, 1993, p.78-81.

DE BIBLIIS HEBRAICIS CONTROVERSIA (II)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

In prima huius symbolæ parte indicia allata sunt, quibus demonstratur Exodi narrationem suam perfectam formam non ante tempore XXVI dynastiae Ægyptiacæ accepisse, i.e. inter posteriorem dimidiad partem VII sæculi et priorem VI sæculi.

Quid censendum est de expugnatione terræ Chanaan, qualis narratur in libro Iosue? Quomodo fieri potest ut miserabilis Isrælitarum turba post longissimam vagationem per Sinaiticas solitudines firmia Chanaan regna vicerit eorumque arcibus potita sit?

Imprimis inquirendum est qui fuerint Isrælitæ. Post bellum quod anno 1967 Isræliani gesserunt contra vicinos Arabes, magnum territorium administraverunt patens ab excelsa planicie Golani in septentrione usque ad extremam pæninsulam Sinaiticam in meridie. Qua occasione mirabiliter data, archæologi Isræliani ubique effossiones archæologicas fecerunt novissimis methodis utentes.


Invenierunt sedentarios homines compluribus ætatis in montuosa medii Chanaan regione vicos incoluisse, qui postea deserti sunt. Hoc primum factum est ætate Æris Veteris (3500-2200 a.Ch.n.), deinde ætate Æris Medii (2000-1550), denique prima Ætate Ferrea (1150-900).

Qualis quarto decimo sæculo fuerit status montuosæ medii Chanaan regionis, nos paululum docent tabulæ litteris cuneiformibus inscriptæ, quas archæologi invenerunt in loco Tell el-Amarna vocato, ubi pharaon Amenophis IV novam urbem caput Ægypti creaverat. Sex ex his tabulis scribendas curavit Abdi-Heba, phylarcha qui sedem habebat Urushalim (nomen Hierosolymorum ætate Æris Recentis). Comperimus phylarcham sparsos incolas rexisse, non plures quam 1500. In margine eius territorii vagabantur gentes Apiru et Shosu vocatae, quæ habebantur ut latrones aut profugi miserabilesque milites. Apiru videtur esse etymon nominis « Hebræus ». David, qui in Bibliis Hebraicis cum comitibus in montibus Hebron et Iudæa vagatur atque Hierosolymis audacter potitur, valde similis est istorum Apiru.

Archæologi Hierosolymis nullum vestigium quarti decimi sæculi invenerunt.

Tertio decimo sæculo, in Proximo Oriente, tota regio divisa erat inter duo magna imperia, Ægyptiorum et Hetæorum; Mycenensium classis dominabatur in mari; commercium maritimum florebat. Chanaan erat imperii Ægyptiaci provincia, cuius urbs caput erat Gaza. Ubique in Chanaan erant Ægyptiaca præsidia.

Reges Chanaan civitatum Haçor, Athek, Lakish et Megiddo narrantur a Iosue vergente tertio decimo sæculo victi esse, sed archæologia demonstrat has civi-



tates solum integro sæculo post deletas esse ab invasoribus, qui vocantur Populi Maris. Philistini, quibuscum Isrælitæ postea certaverunt, erant pars istorum Populorum Maris.

Exeunte tertio decimo sæculo, nomen « Isræl » primum apparet in Ægypto, ubi in stela pharaonis Meneptah legimus gentem, Isræl nomine, in Chanaan anno 1207 vivere.

Duodecimo sæculo finitur Ætas Æris Recentis atque incohatur Ætas Ferrea. Tunc vici iterum coëpti sunt condi, singuli circiter quinquaginta adultorum, quorum plerique manserunt usque ad tempora de quibus nobis est magna documentorum copia. Eorum incole putantur fuisse primi Isrælitæ. Unde venerant? Erant pastores Semitæ, qui, eodem modo ac recentiores Beduini, sua tentoria disponebant in formam ovatam, ut pecudes tute continerent. Vicis eandem formam ovatam initio dederant, sæpimentis loco tentoriorum positis.

Vergente duodecimo sæculo scena Proximi Orientis omnino mutata est propter vehementes ferasque irruptiones « Populorum Maris », qui dicuntur. Ægyptus omnes colonias perdidit, inter quas Chanaan; Hethæi profligati iacebant eorumque urbs caput Hattusas

deserta erat ; palatia Mycenæa deleta sunt. Magnæ Chanaan urbes, ut Megiddo et Haça, vastatæ sunt atque Ougarit, maximus portus, incensus est. Eo ipso tempore multiplicantur vici in montuosa medii Chanaan regione ; eorum incolæ videntur vitam nomadicam reliquisse, quia Chanaan civitates unde frumenta emere solebant, ruinose iacebant ; ipsi ergo agricolæ facti sunt.

Undevicesimo sæculo exeunte, in vicis montuosæ medii Chanaan regionis vivebant circiter 45.000 incolæ. Nullum habebant ædificium publicum, neque palatum neque horreum neque templum. Vix inventa sunt vestigia scripturæ. Opes æquabiliter distribuebantur. Frumentum præcipue producebant. Rustica fictilia vasa fingeabant solum ad usum cottidianum. Nullum signum alicuius divini cultus inventum est, præter parvum æneum tauri simulacrum, quod erat cuiusdam deitatis Chanaanææ. Nulla mœnia erant neque ulla arma inventa ; nullum vestigium incendii vel expugnationis. Plerique Isrælitæ sunt origine Chanaanæi. Una re videntur a ceteris differre : nullum os porci inventum est in effosionibus ; causa huius abstinentiæ latet.

In planicie, quæ a regione montuosa usque ad litus patet, terræ sunt valde fertiles. Ibi prosperæ civitates duodecimo sæculo vastatæ erant, sed sæculo post regio iterum florebat ; Philistini, pars Populorum Maris, sua

oppida in litore meridionali considerant et Phœnici, loco Chananaeorum, portus septentrionales occupavabant.

Pervenimus ad tempus quibus in Bibliis Hebraicis narratur David Hierosolymis potitus esse ibique caput latissimi regni instituisse. Sequitur, decimo sæculo, fastuosum regnum Salomonis, creatoris templi et palatii Hierosolymitani atque aliorum magnorum ædificiorum in oppidis Megiddo, Haçor et Gézér.


Decimo sæculo, re vera, numerus incolarum sedentiarum in Iudæa non excessit quinque milia ; nullus situs inventus est, qui nomine urbis esset dignus. Cultus ibi erat omnino rusticus. Nullum litterarum testimonium. Archæologi post diligentes effossiones nullum vestigium magni ædificii illius temporis neque Hierosolymis neque in oppidis Megiddo, Haçor vel Gézér invenerunt. Nulla etiam mentio Davidis vel Salomonis eorumque imperii in textibus Ægypti et Mesopotamiæ.

Nulla ergo proba historica attestatur decimo sæculo magnam unicamque monarchiam exstisset, cuius caput fuisset Hierosolyma. E contrario, Isræl in parte septentrionali et Iuda in meridionali videntur semper fuisse regiones et societas humanæ distinctæ ; eadem distinctio apparuit tribus ætatis supra dictis, quibus vici conditi sunt in media Chanaan regione.

Iam in tabulis quarti decimi sæculi in situ Tell el-Amarna inventis, agitur de duabus regionibus, Isræl circa Sichem et Iuda circa Hierosolyma. In ambabus tamen colebatur, inter alias deitates, YHWH.

Exeunte decimo sæculo, Isræl tendit ad statum rei publicæ ordinatæ, dum Iuda inordinatum manet. Tunc apparet prima correlatio inter Biblia Hebraica et documenta Ægyptiaca ; in Bibliis enim leguntur hæc : « In quinto autem anno regni Roboam ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem et tulit thesauros domus Domini et thesauros regios et universa diripuit, scuta quoque aurea omnia quæ fecerat Salomon. » (1 Reg. 14,25-26) Sesac est pharaon Sheshonq I (XXII dynastia), qui anno 926 in Chanaan invasit.

Thebis, in templo Ammonis, est inscriptio triumphalis Pharaonis Sheshonq I cum indice 150 circiter urbium vicorumque captorum. In urbe Megiddo stela inventa est, ubi celebratur pharaonis victoria. Ægyptii tamen non diu manserunt in regione capta et eodem tempore prosperæ Chanaan civitates in perpetuum deletæ sunt. Hoc non videtur esse ab Ægyptiis effectum, quibus non proderat, sed potius ab Isrælitis, qui territorium ad Occidentem, i.e. ad fertiliorem planitatem, extendere cupiebant. Inde fit ut exeunte decimo sæculo Chanaan iam non extet ; regio occupata est a



Philistinis, Phœnicis et Isrælitis.

Undecimo sæculo Isræl factum est regnum, cuius reges in Bibliis Hebraicis nominantur. Si solum hunc fontem haberemus, crederemus Isræl fuisse pessimum regnum eiusque reges a Deo merito punitos esse. Sed ab undecimo sæculo eventa politica maioris momenti solent commemorari sollemnibus inscriptionibus lapideis, unde scire possumus quibus certis annis res re vera gestæ sint.

De Bibliis Hebraicis solum regum series est retinenda, nihil de eorum rebus gestis. Ieroboam I, primus Isræl rex, regnat 22 annos ab anno 884. Eius filius Nadab depositus est et cuncta familia trucidata. Succedit usurpator Basha. Eius filius Ela depositus est et cuncta familia trucidata. Usurpator Zimri tantum septem dies regnat. Populus enim regem proclamat Omri, militum ducem. Omri dynastia regnat 40 annos. Omri filius, Achab, uxorem dicit Iezabel. Succedit Ochosias, Achab filius, deinde Ioram, Ochosias frater. Ioram anno 842 necatur ab usurpatore Iehu, militum duce, qui totam familiam trucidat atque Iesabel de fenestra deiici iubet. Nil novi sub sole Orientis !

Sunt tamen extranei fontes, quibus eorum res gestæ admirabiles esse videntur. In lapide in Mesopotamia undevicesimo sæculo invento est inscriptio, qua rex Assyriæ Salmanasar III gloriatur quod Syriam aggressus est atque anno 853 consociatos hostes præcio vicit ; inter socios Isrælitæ, duce Achab, potentissimi sunt ; eorum enim exercitus constat ex 10.000 militibus et 2.000 essedis. Salmanasar III, quamquam de victoria gloriatur, neque Syriam, neque Isræl capere valuit.

Hac inscriptione primum rex Isræl nominatur in aliquo textu non biblico. Iudæa ibi non citatur.

In aliis textibus Assyriis, regnum Isræl vocatur « Domus Omri ». Hæc domus re vera est potens et locuples ; eius territorium patet ad septentrionem versus fere usque ad Damascum atque ad meridiem usque Moab. Omri novam urbem caput creat, Samariam vocatam, in regione frugifera, ubi florent oleæ et amygdalæ. Palatium exstructum in summo colle tres hectareas patens ; tam amplum est, ut ingentes aggeres munendi sint ad ædificium sustinendum. In effossionibus inventa sunt delicata artificia eburnea ; non mirum ergo, si in Bibliis domus Achab vocatur « domus eburnea ».


Ingentia opera aliis in urbibus etiam facta sunt. In urbe Megiddo exstructum est palatium et varia ædifica. In Haçā, exstructa est arx. In Iezreel, Achab et Iesabel sibi extruendam curaverunt amplam domum regiam.

Ad summam, non Salomon, sed dynastia Omri

prima rexit rem publicam absolute constitutam. Incolæ, quorum magna pars non constabat ex Isrælitis, inter se commiscebantur ; multi dei colebantur. Dynastia Omri re vera renovavit usus et cultum Chanaan, qualis fuit Ætate Æris Recentis, atque arces eodem modo exstruxit, sæpe etiam in iisdem locis.

Eodem tempore in Iudæa est parvum, pauper inordinatumque regnum, a vicinis regnis fere ignotum. In Bibliis tamen Hebraicis reges Isræl eo magis contempti sunt, quo prospiores facti ; postea videbimus cur. ☩

(continuabitur)



Hoc est unum e ducentis circiter eburneis fragmentis ab archaeologis inventis in ruinis regiarum ædium Samariæ, quæ anno 721 a.Chr.n. ab Assyriis dirutæ sunt. In eo fingitur Hab, deus parum notus temporis interminati. Archaeologia demonstratur cur in Bibliis Hebraicis domus Achab vocetur « domus eburnea ».

GIGAS, QVI SE CETERIS ANTEPONEBAT

- *fabula Oscari Wilde a Paulo Kangiser in Latinum versa* -

Cottidie¹ ad vesperam pueri, cum a schola revertabantur, in Gigantis hortum, ex consuetudine lusum ibant. Hortus autem amplius et solitarius erat, in quo viridia suavia crescebant; flores amoeni passim in prato fulgebant, duodecim mali Persicæ flosculos mites et roseos vere, autumno vero maturos fructus edebant; passeress, frondibus innixi, ita belle canebat, ut pueri sæpe ludos audiendi causa intermitterent; « O nos hic beatos! » alii aliis dicebant.

At olim Gigas reversus est, nam monstrum Cornubiense, amicum suum, viserat, cuius domi annos septem commoratus erat; his annis interiectis, omnia quæ dicenda erant, amico iam dixerat, (nam sermocinatio ei erat finita), consiliumque revertendi in castellum suum cepit; quo cum venisset pueros in horto suo ludentes vidit.

« Quare hic estis? » acriter clamavit, et pueri fureunt; « Hortus meus est mihi », denuo clamavit, « omnesque sic compertum habeatis: neminem horto frui patiar nisi me ipsum»; tunc circa hortum murum exstruxit tabulamque posuit in qua legebatur:

QVI INGREDIANTVR AD LEGEM PVNIENTVR

Gigas ille profecto se ipsum ceteris anteponebat.

Puelli iam nullo – heu miseros! – utebantur loco, ubi sese oblectarent; in via ludere voluerunt, sed via pulverulenta erat et lapillis plena, nec illis placebat; tunc, a schola abeentes, assuefacti sunt circum murum ambulare atque alloqui de horto amoënißimo qui intus erat: « O nos illic fuisse beatos! » alii aliis dicebant.

Cum Ver advenisset terra tota et flosculis et passerculis impleta est, at in Gigantis horto hiems adhuc regnabat; passeress, quod pueri abessent, canere nolebant, etiam arbores florescere oblitæ erant; flos olim pulcherrimus ex prato se erexit, sed, cum tabulam prohibitoriam legisset et puerorum misertus esset, in terram cecidit iterumque dormivit; ex omnibus autem Nix et Pruina unice lætabantur, nam « Huius horti » aiebant « Ver oblitum est, idcirco totum annum hic versabimur»; Nix pallium suum album super pratum explicavit; Pruina autem omnes arbores quasi argenteas reddidit; tunc ad se Boream vocaverunt ut in horto una essent; Boreas autem venit, pellibus induitus; is per hortum cursim totum diem clamitabat et caminorum cineres conflabat; « Amœnus est nempe locus » aiebat « vocemus quoque Grandinem»; Grandus quoque venit, et cottidie super castelli tectum tres horas crepabat ita ut multas tegulas rumperet; tum etiam circum hortum quam celeriter se convertebat, et pullo colore vestita, halitu gelido anhelabat.

Interim Gigas per fenestram aspiciens hortum suum album et gelidum videbat neque intellegebat qua de causa Ver nondum pareret; « Utinam » aiebat « tempes-tas fieret benigna! ».

Tamen nec Ver nec Æstas venerunt; Autumnus vero fructus aureos reliquis hortis, nullos Gigantis horto tulit; « Valde » inquit « egoisticus est »; æterna autem Hiems illic erat, et Boreas et Grando et Pruina et Nix inter arbores saltabant.

Olim mane Gigas adhuc recubans sed iam vigilans, musicen amoënam audivit, quæ tam iucunde sonabat ut musicos regales esse proximos crediderit; at non musici erant sed passerculus, qui ad fenestram canebat; Gigas, cum in horto canentem diu neminem audivisset, putavit omnium cantorum passerculum illum esse eximum; tum demum Grando super tectum saltare, Boreasque rugire destitit: aroma suavissimum per apertas fores fenestratas ad Gigantem pervenit, ita ut Ver tandem pervenisse sentiret; lecto igitur desiluit, foras aspexit.

Quid vidit?

Vidit mirabilia: per muri foramen pueri in hortum desiluerant et frondes petebant; omnis arbor, quam gigas vidit, puerum sustinebat; arbores autem tam beatas se putabant, quod denuo pueri adessent, ut flosculos pulcherrimos ederent et brachia super capita puerilia comiter agitarent; tum passeress passim circumvolare floresque se ex prato erigere et quasi arridere: scæna pulcherrima videbatur; tamen in horti angulo seposito hiems adhuc manebat; ibique puer tam parvus stabat ut in frondes pervenire nequiret et circum arborem flens et mærens ambularet; arbor illa adhuc nive geluque operta erat, et Boreas super eius frondem perflabat et rugibat; arbor puer parvo dixit: « Ascende, euge, puer! », et ramulos deorsum totis viribus explicabat, at puer valde parvus erat.

Tum Gigas, cum scenam illam aspexisset, misericordia est commotus, atque ita secum excogitavit: « Quam cæcus meimet amor me tenet; iam compcri cur Ver nondum venerit; puerum illum in frondem imponam, dein murum delebo et hortus meus pueris in posterum erit oblectamento»; sincere facinorum eum pænituit.

Tunc scalis descendit, ianuam aperuit, hortum adiit: pueri, cum eum vidissent, perterriti fugæ sese dederunt, in horto denuo cælum hibernum factum est; ex omnibus puer unus non fugerat: oculi enim eius ita lacrimabant, ut Gigantem venientem non vide-ret; Gigas autem puer caute appropinquavit, eumque

manibus blande tulit, in arbore imposuit ; et statim arbor floruit et passeres ad frondes venerunt, et canebant, et puer Gigantem amplexus et osculatus est ; reliqui pueri, cum Gigantem malum iam non esse videbant, ad eum appropinquaverunt et Ver quoque reversum est ; Gigas tunc dixit : « Dehinc hortus, pueri, vester est » ; malleoque magno, murum delevit ; itaque cum multi in mercatum ad meridiem iissent, Gigantem cum pueris ludentem in horto omnium amoenissimo viderunt.

Pueri totum diem luserunt et iam noctu Giganti valedixerunt.

Tum ille quæsivit ubi parvus eorum comes esset : « Is » inquit « quem in frondes imposui » ; is carissimus Giganti erat, nam eum amplexus erat et osculatus.

« Nescimus » pueri aiebant « abiit ».

Tum Gigas : « Ei dicite cras ut veniat nec absit » ; at pueri se nescire eius domum dixerunt, quem numquam antea viderant ; et Gigas contristatus est.

Ad vesperam cottidie pueri e schola in hortum cum Gigante lusum venibant ; tamen puellum, quem post nullos diligebat, Gigas numquam postea vidit ; erat in pueros benignissimus, at primi illius amiculi desiderio movebatur ut sæpe de eo alloqueretur : « Utinam » aiebat « illum denuo videam ! ».

Multis annis interiectis, Gigas iam senex et imbellis fuit ita ut ludis iam interesse non posset et sederet dum pueros ludentes videbat ; « Sunt mihi pulchri flores » aiebat « at pueri omnium pulcherrimi flores ».

Quodam mane hiemali, dum se comebat, per fenes-

tram aspexit ; Hiemis vero eum iam non tædebat, nam intellegebat illam nihil esse nisi Veris somnium et florum quietem.

Subito oculos perfricavit et attonitus attente intuitus est ; rem miram vidit : in extremo horto arbor cooperta floribus albis erat, eiusque frondes aureæ, in quibus argentei fructus pendebant ; puellusque, quem post nullos amavit, ad arborem stabat.

Gigas læto animo cito scalis descendit in hortum, per pratum ad puellum cucurrit ; cum proximum vidisset ira exarsit et clamavit : « Quis ausus est te ferire ? » ; in manibus igitur pueri et pedibus vestigia clavorum sanguinea videbantur.

« Quis » inquit « ausus est te lædere ? ; dic mihi et gladio meo istum nequam necabo ».

« Noli istud ! » inquit puer « hæc sunt vulnera ab Amore accepta ».


« Quis tu es ? » inquit Gigas ; et verecundia et tremore permotus genibus pueri se advolvit.

Tunc puer Giganti arrisit dixitque : « Tu olim in horto tuo me ludere sivist ; hodie una tecum venies in hortum meum, qui est Paradisus ».

Ad vesperam illam pueri in hortum cum pervenissent, Gigantem supinum sub arboris fronde exanimatum viderunt, flosculis albis coopertum. ■■

1. *The Selfish Giant*, narratio facta ab Oscaro Wilde anno 1888 Anglice scripta.

DE NOVIS LIBRIS



Sermones Romani. Ad usum discipulorum edidit Hans H. ØRBERG, Grenaa, Domus Latina, 2004, 80 pp.

Iohannes Ørberg e variis operibus antiquis colloquia excerpit, quæ hic suo more ita proponit, ut nulla explicatio insit nisi Latina ; vocabula enim sive delineamento sive aliis vocabulis dilucide explicantur. Qui sermones alii sunt de Ciceronis, Horatii Gelliive operibus desumpti, alii de evangelio secundum Lucam, alii de auctoribus minus notis, ut Pseudo-Dositheus aut ille Romulus, qui fabulas Æsopias edidit oratione soluta. Ex hoc pulcherrimo libello discipuli tantum delectationis quantum utilitatis procul dubio capient.
ISBN 87-90696-07-7. orberg@lingua-latina.dk

M. VON ALBRECHT, *De simia Heidelbergensi*, Verlag Rudolf Spann, 2004, 48 pp.

Heidelbergæ in vetere ponte stat effigies simiæ cuiusdam, quæ viatoribus ostendere videtur vitæ speculum. Eadem simia in hac lepida fabula lectores alloquitur resque suas gestas periucunde narrat, sic ostendens se doctiorem et sapientiorem esse multis hominibus. Hæc iucunda lectio non est prætermittenda.
ISBN 3-929280-23-X. verlag@antike-latein-spann.de

E. BORNEMANN, *Lateinisches Unterrichtswerk*, nova editio retractata ab A. Schönberger et S. Smith, Frankfurt am Main, Valentia / Domus Editoria Europæa, 2004, 166 pp.

Prof. Dr Eduardus Bornemann (1894-1976) lingua Latinam et Græcam Francofurti docuit. Annis 1947 et 1948 methodum linguæ Latinæ descendæ divulgavit in duo volumina divisam. Primam partem, tironibus destinatam, nunc retractatam iterum proponunt editores, quorum alter fuit auctoris discipulus, alter in eodem gymnasio studuit. Discipuli Germani sic frui poterunt methodo, qua aliquid adhuc serio discitur.
ISBN 3-936132-05-4 (Valentia), 3-927884-70-7 (Domus Editoria Europæa)



P. SÜSKIND, *Fragrantia. Historia homicidæ*. Fabula romanica a. 1985 Theodisce scripta sub titulo, q. e. « Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders » a Nicolao GROSS in Latinum conversa, Bruxellis, Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme, 2004, 295 pp.

ISBN (Fundatio Melissa) 2-87290-019-5 (Musée de la maison d'Érasme) 2-930414-01-4

Hæc fabula, anno 1985 conscripta sub titulo « Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders », a criticis totius orbis terrarum est eximie laudata. Translator Latinus egregie reddidit stili splendorem subtilitatemque, descriptionum leporem, historiae exspectationem. Tali narratione lectori mirabiliter aperitur non solum extraordinarius mundus odorum, sed etiam Francogallia sæculi duodevicesimi, miseria, horror et scelus.



N. GROSS, *Glossarium Fragrantiae. Lexicon Latinorum nominum vocabulorumque rariorum recentiorumve, quæ inveniuntur in fabula Fragrantiae a Nicolao Gross in sermonem Latinum conversa*, Bruxellis, Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme, 2004, 504 pp.

ISBN (Fundatio Melissa) 2-87290-020-9 (Musée de la maison d'Érasme) 2-930414-00-6

Hoc glossarium, verbis rariis difficilioribusve dicatum, quæ in Süsskindiana Fragrantia possunt occurrere, auctorem suum multo longius traxit quam initio putaverat. Nam se verbis capi sivit, hic illic opportune addens explanationes sive historicas, sive geographicas, sive litterarias, sive biologicas, sive medicas, sive zoologicas, sive culinarias, atque lectorem sic dicit, ab « Abracadabra » ad ζῷον πολέμιον, in horto verborum coloribus ditissimo.

In hoc fasciculo !



- Symposii meditatio [G. Licoppe] p. I
Lingua Latina per se explicata [I. Ørberg] p. 4
Epistolæ Erasmi [A. Vanautgaerden] p. 6
De normis generalibus iuris pœnalis in ecclesia (II) [L. Willemarck] p. 8
De Bibliis Hebraicis controversia (II) [G. Licoppe] p. II
Gigas, qui se ceteris anteponebat [P. Kangiser] p. 14
Bibliotheca Latina p. 16*
-

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ



a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30 in Museo Domus Erasmianæ (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles). Si quis plura scire cupit : Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 & Telecop. + 32 (0) 2.735.51.32. g.licoppe@skynet.be



ARCHÆOLOGIA TEXTVVM LATINORVM TEMPORIS RENASCENTIÆ

IOHANNES-MARCUS MANDOSIO (Schola practica altiorum studiorum, Parisiis) in Museo Domus Erasmianæ autumno tempore offeret quinque sessiones, quibus textus Latinos leget et commentabitur in ipsis veteribus libris aut manuscriptis. Hoc seminarium placebit non solum philologis, sed etiam palæographis, paedagogis et philosophis. Saturni diebus a hora 10 ad 12.30. Prænotatio necessaria : tel. + 32 (0) 2 521.13.83. erasmusav@skynet.be